

DE EXCOMMUNICATIONE IN VIGENTI CODICE

SUMMARIUM: Momenti, etiam practici, videtur investigatio de notione excommunicationis, inter opiniones sive quod agatur de exclusione ab Ecclesia, sive quod agatur de mera declaratione. 1. Perstringitur historia instituti a Novo Testamento ad Codicem in qua plura elementa inveniuntur quae conferunt ad conceptum efformandum. 2. Investigatio fit indolis excommunicationis et quidem *ex iure quod* est seu ex Codice, non ex aliqua theoria, attendendo scilicet ad effectus statutos. 3. Eorum natura pressius consideratur tanquam limitatio seu prohibitio iurium exercitii. 4. Concludendo, perpenditur quo sensu excommunicatio dici possit exclusio a communione fidelium et tandem definitio seu descriptio quaedam proponitur.

In illis canonicis institutis de quibus confusio quaedam in multorum christifidelium mentibus reperitur, adnumerari certe potest excommunicatio. Intellegitur, ex una parte, ut mera exclusio ab Ecclesia: quae comprehensio probabiliter oritur ex definitione, — non iam authentica —, pio-benedictina «*excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium...*» (can. 2257, § 1), in qua locutio «*exclusio a communione fidelium*» saepe ad litteram intelligebatur, ignoto sensu eius technico. Intellegitur, ex altera parte, ut mera sanctio qua declaratur separatio quam peccatum grave efficit; unde aliqui designant peccatum ut «*excommunicationem spiritualem*». Ex quo patet excommunicationis effectus extendi usque ad exclusionem ab Ecclesia, vel eius indoles restringitur ad valorem quemdam mere declaratorium.

Nobis ergo opportunum videtur analysim huius instituti peragere ut et indoles et effectus eius apertis-

sime explicentur: quae analysis hic breviter exponetur ita ut definitio proponatur prout ex novo Codice eruitur¹. Etenim, in Codice 1983, nulla datur definitio; legislator ad doctrinam remittit ut patet ex operibus praeparatoriis Libri V Codicis pio-benedictini recognoscendi: «*habita est cura ut praetermitterentur definitiones aliaeque, quae ad doctorem magis quam ad legislatoris pertinent officium*»². Necesse est ergo definitionem doctrinalem elaborare; antequam tamen hanc aggrediamur, superfluum non erit breviter in mentem revocare historiam excommunicationis quae mutabilitas et relativitas notionis elucidetur, deinde exponere delicti canonici effectus tam generaliter quam specialiter, i.e., in casibus delictorum excommunicatione sancitorum, ut indoles eius non mere declarativa, sed revera constitutiva appareat. His omnibus expositis, rectius intelligetur vera excommunicationis indoles in hodierno Codice latino; definitionem quandam tunc proponemus quam iudicio peritorum subicimus.

1. Conspectus historicus

Antequam rem aggrediamur, notandum est quod vox «*ex communicatio*» non reperiri in fontibus ante

¹ Remittimus ad dissertationem nostram in qua offertur analyticum studium novae legislationis ita ut perveniatur ad doctrinalem elaborationem: *L'excommunication dans le nouveau code de droit canonique. Essai de définition*, Paris, Desclée, 1987. Inter paucissima studia de hac re notetur dissertatio helvetici canonistae L. GEROSA, discipuli E. CORECCO, *La scomunica è una pena? Saggio per una fondazione teologica del diritto penale canonico*, Fribourg, 1984, in qua consideratur haec censura alia methodo scilicet potius speculativa.

² *Communicationes* 2 (1970) 101.

saeculum quartum iam peractum; decurrentibus vero saeculis designat varias poenas ecclesiasticas. Tertio decimo tandem saeculo, vocabulum desinit plurivocum esse ut univoce censuram designet.

Novum Testamentum certe non proponit systema proprie dictum disciplinare vel poenale, non desunt tamen elementa aliqua, — ordinationes vel processus —, quae, decurrentibus saeculis, in varia paenitentialia disciplinaresque institutiones ingredientur, praesertim in excommunicationem³. Agitur, v.g. de requisito gravi notorioque peccato⁴, de pertinacia vel contumacia⁵, de praevis monitionibus⁶, de sententia

³ Cfr. K. WALF, «La discipline ecclésiastique et la vie de l'Eglise d'aujourd'hui», in «Concilium» 107 (1975) 45. In opere nostro invenitur amplior historica expositio (*op. cit.*, pp. 217-270), cum apparatu bibliographico ex quo sequentia notatu digniora iudicamus: J. GAUDEMET, «Note sur les formes anciennes de l'excommunication», in «Revue des Sciences Religieuses» 23 (1949) 64-77; R.H. HELMOLZ, «Excommunication as a Legal Sanction: The Attitudes of the Medieval Canonists», in «Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte, Kanonistische Abteilung», 68 (1982) 201-218; CL.-H. HUNZINGER, «Bann, II. Frühjudentum und Neues Testament», in «Theologische Realenzyklopädie» 5, pp. 161-167; G. MΛΥ, «Bann, IV, Alte Kirche und Mittelalter», in «Theologische Realenzyklopädie» 5, pp. 170-182; CH. MUNIER, «Discipline pénitentielle et droit pénal ecclésial. Alliances et différenciation», in «Concilium» 107 (1975) 23-32; P. RUSSO, «Pénitence et excommunication. Etude historique sur les rapports entre la théologie et le droit canon dans le domaine pénitentiel du IX^e au XIII^e siècle», in «Recherches de Science religieuse» 33 (1946) 257-279; 431-461; C. VOGEL, «Pénitence et excommunication dans l'Eglise ancienne et durant le Haut Moyen-Age», in «Concilium» 107 (1975) 11-22.

⁴ Cf. Mt 18, 15; 1 Cor 5, 1; 2 Thess 3, 6; Tit 3, 11.

⁵ Cf. Mt 18, 17; 1 Cor 5, 1; 2 Thess 3, 14; Tit 3, 10; 3 Jo 10.

⁶ Cf. Mt 18, 15-17; Lc 17,3; 1 Thess 5, 14; 2 Thess 3, 15; Ga 6, 1; 1 Tim 5, 20; 2 Tim 2, 25; 4, 2; Tit 3, 10; Jac 5, 10.

declarativa vel constitutiva⁷, de fine medicinali⁸, de separatione a communitate⁹, de vetita communicatio-
ne cum aliis fidelibus¹⁰, de necessitate emendationis¹¹.

Secundo autem saeculo, reperiuntur usus aliqui qui ad rem nostram pertinent: primo, obligatio abstinenti a communione eucharistica (cfr. 2 Cor. 11, 27-28); postea correptionis praxis erga peccatores, quae dici solet correctio fraterna, deinde peccatorum confessio, dicta exomologesis, quae in communitatis et cultus actione eucharistica integratur, denique tandem expiatio seu pro peccatis satisfactio per opera paenitentiae, orationem scilicet, eleemosynam et jejunium.

Extremo saeculo secundo, usus illi coniunguntur et integrantur in quoddam iter paenitentiale solis culpa peccati gravis gravatis reservatum. Agitur de paenitentia antiqua in qua per tres gradus proceditur: ingressus in paenitentiam, actio paenitentiae in paenitentium ordine, reconciliatio. Nostro iudicio, actio paenitentiae rectius vocari debet «relegatio paenitentialis», seu secundum aliquos auctores linguae gallicae «excommunicatio paenitentialis», i.e. relegatio in paenitentium ordinem ut ibi, Ecclesiae iussu, peccati gravis expiatio perficiatur.

Inter hanc poenitentialem pro gravibus peccatis disciplinam et personalia pro levibus peccatis poenitentiae opera, intererat privatio a communione eucharistica vel ad tempus, vel usque ad mortis periculum, vel aliquando perpetua.

⁷ Cf. Mt 18, 17; 1 Cor 5, 4; 2 Cor 2, 6.

⁸ Cf. 1 Cor 5, 5; 2 Cor 2, 7; 1 Tim 1, 20.

⁹ Cf. 1 Cor 5, 2-13.

¹⁰ Cf. Mt 18, 17 (?); 1 Cor 5, 18; 2 Thess 3, 14; Tit 3, 10.

¹¹ Cf. Mt 18, 15-17; Lc 17, 3; 2 Tim 2, 25-26; etc.

Quod si pertinaciter peccator in peccato persistebat paenitentiamque recusabat, apparet in fontibus iam a tertio saeculo, quaedam a communitate exclusio. Quarto et praesertim quinto saeculo, haec exclusio in usu evadit frequentior quam mera abstinencia a communione eucharistica. Eodem tempore ut iam notavimus, apparent vocabula «*excommunicatus*», «*excommunis*», «*excommunicare*», «*excommunicatio*», «*anathema*» et «*anathematizare*». Quae exclusio a participatione ecclesialis communitatis revera dici potest «*excommunicatio*» vel «*anathema*».

Inter eucharisticae communionis privationem et totam a communitate exclusionem, Conciliorum canones indicant alios duos exclusionis esse gradus, scilicet exclusionem a cultu et exclusionem partialem, i.e. limitatam parti alicui vitae communitatis. Notatu dignum est quod, ante saeculum quartum, exclusio indolem essentialiter religiosam habere dum postea, in statu christianitatis, sanctionis etiam socialis indolem induit.

Introduta paenitentia privata et, a saeculo nono, posito principio «*peccato publico, paenitentia publica, peccato vero occulto, paenitentia privata*», paenitentia magis magisque concipitur ut praxis privata; quod peccatum causa sit separationis a communitate minus minusque percipitur, in vita tandem visibili Ecclesiae. Unde excommunicationi progressive confertur, — et institutio ipsa tendit ut ita configuretur —, indolem publicam reactionis erga peccata gravia publica et scandalosa.

Ab eodem nono saeculo, disputatur inter doctores de peccati et excommunicationis effectibus qui antea confundebantur. Sed cum GRATIANO et decretistis, distinctio apparet inter varios modos seu gradus pertinendi ad Ecclesiam et correspondentes exclusio-

nis modos (gradus) atque eorum theologalem vel ecclesialem rationem. Sunt ita tria exclusionis genera: privatio a communione eucharistica pro peccato gravi (excommunicatio conscientiae pro mortali), relegatio paenitentialis (excommunicatio paenitentiae pro enormi) et exclusio partialis vel totalis e communitate (ex communicatio sententiae pro contumacia, simplex seu minor vel solemnis seu maior, i.e. anathema). Peccatum privat a communione in caritate, excludit ab Ecclesia tamquam *communione gratiae*: agitur de separatione spirituali; excommunicatio vero privat a spiritualibus Ecclesiae bonis, excludit ab Ecclesia tamquam *medio gratiae*: agitur de separatione corporali.

Ex illa maximi momenti distinctione inter modos (gradus) pertinendi ad Ecclesiam et excludendi ab ea, natura excommunicationis melius elucidatur; a Decretalibus decimi tertii saeculi usque ad nostram aetatem, iam apparet ut censura. INNOCENTIUS III declarat censuram comprehendere non solum interdictum sed etiam suspensionem et excommunicationem (X.5.40.20); secundum GREGORIUM IX, excommunicatio maior est iuris communis (X.5.39.59) dum finem medicinale INNOCENTIUS IV bis ei assignat; v.g.

«Quum medicinalis est excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans (...) Caute provideat iudex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit et medentis» (VI.5.11.1; cfr. VI.2.12.1.).

In iure Decretalium colligitur etiam et roboratur anterior legislatio ad effectus excommunicationis pertinentes.

Post saeculum decimum tertium, super fundamentum a GRATIANI Decreto et praesertim a Decreta-

libus positum, doctrina clarius exprimere conatur figuram excommunicationis quoad indolem et effectus eius. Hos legislator adlevat, ut apparet *praesertim* in constitutionibus «*Ad evitanda*» MARTINI V in Concilio Constanciensi, anno 1418, et «*Apostolicae Sedis*» PII IX, anno 1869, in Codice anni 1917 et in hodierno Codice. Quoad naturam, doctores conantur clarius exprimere sensum exclusionis a communitate et indolem medicinalem censurarum. In qua materia eminet F. SUAREZ (1548-1617), in cuius tractatu «*De censuris*» illa medicinalis indoles ponitur ut cardo totius eius systematis huius partis iuris canonici poenalis. Peritorum etiam fuit, — opus necessarium sed avidum —, pressius definire exclusionem a communione fidelium: quae exclusio mere ecclesiastica non tangit internam communionem sed externam, mixtam et aliquoties civilem et limitatur intra fines a iure definitos (CIC 1917 c. 2257 § 1). Optimam et exactissimam, secundum nos, elaborationem doctrinalem de modo quo excommunicatus pertineat ad Ecclesiam praebuit A. GOMMENGINGER¹² secundum quem definitio excommunicationis a Codice anni 1917 ut «*exclusionis a communione fidelium*» procedit ex pietate erga traditionem canonicam vel, ut nudis verbis alicuius utamur, «*ex superstitione antiquarum formularum*»¹³.

¹² A. GOMMENGINGER, «*Bedeutet die Exkommunikation Verlust der Kirchengliedschaft? Eine dogmatisch-kanonistische Untersuchung*», in «*Zeitschrift für Katholische Theologie*» 73 (1951) 1-71; praesertim pp. 49-51, 69-70. Hoc in casu, agitur de «*adherencia a la tradición*» sicut dicit R. CASTILLO LARA qui considerat talem adhaerentiam tamquam iuris canonici notam, specialiter in re poenali; cfr. «*Algunas reflexiones sobre la futura reforma del Libro V CIC*», in «*Salesianum*» 23 (1961) 323.

¹³ Cfr. Praefationem CIC 1917: «*ut consultor aliusve ordinator e documentis excerpta verba quantum posset fideliter referret*»

2. Indoles excommunicationis

Hic brevis historiae conspectus sufficit ut percipiatur quam complexa sit excommunicatio; institutio, hodie mere canonica vel, ut accuratius loquamur, proprie poenalis, mutata est per saecula vi variorum adjunctorum quorum praecipua sunt: 1) modus quo Ecclesia conscia fuerit de seipsa et de relatione sua ad Regnum; 2) modus quo Ecclesia perceperit relationem suam ad mundum, et in statu christianitatis et in statu «dispersionis»; 3) modus quo Ecclesia conceperit criteria et modos quibus aliquis ad eam pertineat; 4) conceptio effectuum et peccati et excommunicationis; 5) evolutio disciplinae paenitentiae; 6) progressiva unificatio legum particularium sub influxu collectionum canonicarum mediæ aevi; 7) influxus iuris decretalium et postea doctrinae canonicae. Ex illis adjunctis, plura etiam hodie prae oculos habenda sunt ut excommunicatio intelligatur *non in abstracto* sed *relative* ad praxim Ecclesiae et ecclesiologiam, ex una parte, atque, ex altera parte, ad disciplinam paenitentialem et systema poenale.

Sensu proprie canonico, — sed quaeri potest utrum diversus sensus hodie evadat —, concipienda est excommunicatio, ex *iure quod est* i.e. e vigenti Codice, ut appareat indoles eius constitutiva et non mere declarativa. Exponere ergo oportet primo effectus delicti in genere, deinde effectus delictorum ab excommunicatione sancitorum, denique tandem effectus proprios excommunicationis; cum vero delictum praesupponat peccatum grave (cf. can. 1321 § 1), peccati effectus prius considerandi sunt.

(*Codex Iuris Canonici*, Typis polyglottis Vaticanis, Romae, 1917, p. XL).

Generaliter loquendo, peccatum grave tres saltem effectus inducit: prohibitionem communionis eucharisticae recipendiae (can. 916), obligationem confessionis (can. 988), incapacitatem lucrandi indulgentias (can. 996 § 1). Ex doctrina constat quod qui graviter peccavit remanet membrum Ecclesiae; particeps est enim Ecclesiae tamquam medii gratiae, sed non iam Ecclesiae corporis seu unitatis corporis Ecclesiae, i.e. Ecclesiae tanquam communionis gratiae. Quo eruitur ex verbis secundi Concilii Vaticani: peccator non iam plene incorporatur Ecclesiae cum non iam Spiritum Sanctum habeat (LG 14 b). Remanet tamen peccator ille in *plena communione* Ecclesiae nisi peccatum eius apostasia, haeresis vel schisma sit: quo in casu, tria vincula totaliter vel partialiter reicit¹⁴.

Praeter peccati gravis effectus, delictum alios habet effectus específicos: praevisionem sanctionis poenalis (can. 1321 § 1; cfr. can. 1399), actionem criminalem ad poenam declarandam vel irrogandam (can. 1717 § 1 et can. 1718 § 1, 1^o) et actionem contentiosam ad damna reparanda (cann. 1729-1731). Tales sunt effectus delicti in genere; quibusdam vero delictis alii effectus proprii insuper producuntur. Sic, in casu abortus (can. 1398), effectus praescripti in canonibus 1041, 2^o et 4^o, 1044 § 1, 2^o et 3^o et 695 § 1; sic etiam in casu delictorum apostasiae, haereseos et schismatis (can. 1364 § 1); si haec delicta publica sunt, effectus praeterea inducunt praescriptos in cann. 194 § 1, 2^o; 316 §§ 1 et 2 et 1044 § 1, 2^o; si notoria fuerint delicta adhuc effectus inducunt praescriptos in cann. 171 § 1; 694 § 1, 1^o; 1071 § 1, 4^o et 1184 § 1, 1^o; et si actu formali perpetrata sunt, inducunt effectus prae-

¹⁴ A. BORRAS, *L'excommunication* (supra nt. 1) pp. 73-83.

scriptos in can. 1086 § 1. Tanquam peccatores in re gravi, delinquentes non iam *plene* incorporantur Ecclesiae (cf. LG 14b); in casu apostasiae, haereseos vel schismatis, nec remanent in *plena* communione ob *defectum* (quod vocamus) *dolosum communionis*, delicto inhaerentem, propter trium vinculorum totalem vel partialem recusationem¹⁵.

Ut ad effectus excommunicationis veniamus, considerandi sunt in normali applicationis modo, scilicet in casu «*ferendae sententiae*»; ad normam enim can. 1314, poena plerumque est «*ferendae sententiae*». In Codice, non minus quam undeviginti effectus poenae ferendae sententiae enumerantur; et si pauciores sunt in casu poenae «*latae sententiae*», remanent tamen plures quam delicti effectus. Notandum etiam quod effectus «*latae sententiae*» differunt a delictorum effectibus; in enumeratione subsequenti, notabimur asterico (*) effectus poenae «*latae sententiae*»; ex quo melius discerni poterunt effectus post sententiam declaratoriam ab effectibus iam «*latae sententiae*» incursis¹⁶.

¹⁵ A. BORRAS, *op. cit.*, pp. 37-49; 83-88; 89-101. Cfr. etiam articulum nostrum: «*Appartenance à l'Eglise, communion ecclésiastique et excommunication*», in «*Nouvelle Revue Théologique*» 110 (1988) 801-824, in specie pp. 806-814 ubi exponitur sensus technicus verborum *incorporationis et communionis*. Hac de re, viam interpretationis sequimur quam aperuit magister noster V. DE PAOLIS, praesertim in articulo suo «*Communio et excommunication*», in «*Periodica*» 70 (1981) 271-302 et plane treicimus interpretationem F. COCCOPALMERIO «*De communionem ecclesiali iuxta doctrinam Vaticani II*», in «*Investigationes theologico-canonicæ*», Roma, 1978, pp. 99-114.

¹⁶ Ex illa sententia declaratoria, promanant publicitas censurae, eius notorietas de iure et obligatio reo imposita observandi effectus in foro externo. Cfr. A. BORRAS, *L'excommunication* (supra nt. 1), pp. 162-163, ubi etiam fusius tractatur de omnium effectibus, pp. 137-177; 177-209. Breve commentarium omnium

1. * vetitum ministerialis participationis in eucharistia et in quibuslibet liturgicis actionibus (can. 1331 § 1, 1^o; cfr. CIC 1917, can. 2259);

2. exclusio a liturgica actione in casu ministerialis participationis, vel arcendo excommunicatum, vel cessando actionem (can. 1331 § 2, 1^o; cfr. CIC 1917, can. 2259 § 2);

3. * vetitum celebrandi sacramenta atque sacramentalia (can. 1331 § 1, 2^o; cfr. CIC 1917, can. 2261 § 1);

4. * vetitum recipiendi sacramenta (c. 1331 § 1, 2^o; cfr. CIC 1917, can. 2260 § 1);

5. exclusio a communione eucharistica si excommunicatus conatur eam recipere (can. 915; cfr. CIC 1917, can. 855);

6. * vetitum fungendi quibuslibet ecclesiasticis officiis (can. 1331 § 1, 3^o; cfr. CIC 1917, can. 2263);

7. * vetitum fungendi quibuslibet ministeriis (can. 1331 § 1, 3^o; cfr. CIC 1917, can. 2263);

8. * vetitum fungendi quibuslibet muneribus (c. 1331 § 1, 3^o; cfr. CIC 1917, can. 2263);

9. * vetitum ponendi, sub poena nullitatis, actus regiminis (c. 1331 § 2, 2^o; si poena latae sententiae est, vetitum est ad liceitatem tantum, *Ibid.* § 1, 3^o; cfr. CIC 1917, can. 2267);

10. vetitum valide matrimoniis assistendi (can. 1109; cfr. CIC 1917, can. 1095 § 1, 1^o);

11. vetitum fruendi privilegiis antea concessis (can. 1331 § 2, 3^o; cfr. CIC 1917, can. 2263);

12. vetitum, sub poena nullitatis, consequendi dignitatem in Ecclesia (can. 1331 § 2, 3^o; cfr. CIC 1917, can. 2265 § 1, 2^o et § 2);

effectuum proposuimus in «*Les Cahiers du Droit Ecclésial*», 4^e trimestre, 1986, Dossier cui titulus «*L'excommunication dans le nouveau code*», cfr. praesertim pp. 10-16.

13. vetitum, sub poena nullitatis, consequendi officium ecclesiasticum (can. 1331 § 2, 3º; cfr. CIC 1917, can. 2265 § 1, 2º et § 2);

14. vetitum, sub poena nullitatis, consequendi munus in Ecclesia (can. 1331 § 2, 3º; cfr. CIC 1917, can. 2265 § 1, 2º et § 2);

15. vetitum suos faciendi fructus dignitatis, officii, muneris cuiuslibet, pensionis ecclesiasticae (can. 1331 § 2, 5º; cfr. CIC 1917, can. 2266);

16. incapacitas ad suffragium ferendum (can. 171 § 1, 3º; cfr. CIC 1917, can. 167 § 1, 3º);

17. incapacitas lucrandi indulgentias (can. 996 § 1; cfr. CIC 1917, can. 925 § 1 et can. 2262 § 1);

18. incapacitas ingrediendi in consociationes publicas (can. 316 § 1; cfr. CIC 1917, can. 693 § 1);

19. exclusio a consociatione publica (can. 316 § 2; cfr. CIC 1917, can. 696 § 2).

Si comparationem instituimus cum peccati gravis effectibus, patet quod omnes excommunicationis effectus sunt *proprii*, exceptis incapacitate lucrandi indulgentias (can. 996 § 1) et prohibitionem accedendi ad sacram communionem (can. 916), et salvo vetito recipiendi paenitentiae sacramentum (can. 1331 § 1, 2º) usque ad recessum a contumacia censuraeque absolutionem (can. 1331 § 1, 2º; cfr. can. 1358 § 1). Si ex altera parte, comparantur cum specificis delicti effectibus, excommunicationis effectus iterum proprii habendi sunt; etiam in casu apostasiae, haereseos vel schismatis ubi tamen ipsa delicta aliquos effectus iam producant ex seipsis¹⁷.

Cum excommunicatio effectus proprios et speci-

¹⁷ Vide can. 149 § 1, can. 1331 § 2, 4º; can. 171 § 1, 3º cfr. can. 171 § 1, 4º; can. 316 §§ 1-2; can. 1071 § 1, 4º cfr. can. 1071 § 1, 5º.

ficos producat, patet quod indolem constitutivam et non mere declaratoriam habet, unde etiam concludi potest propriam canonicam conditionem constituere quam clarius postea describemus. Hic notare sufficit quod excommunicatus Ecclesiae incorporatus remanet, vi radicalis baptismatis incorporationis, etsi *minus plene* ob peccatum delicto inhaerens (cfr. LG 14b); eodem modo remanet in Ecclesiae communione, — sensu tecnico trium vinculorum —, nisi apostasiae, haereseos vel schismatis delictum commiserit ideoque in defectum *dolosum* communionis lapsus sit (can. 1364 § 1; cfr. can. 205)¹⁸.

3. Effectus excommunicationis

Quoad naturam effectuum poenae excommunicationis duo tractanda sunt: in quo consistant, canonice loquendo ? ad quod ordinantur? Quam alteram quaestionem primo examini subiicimus.

Excommunicatio est censura, aliis verbis, poena medicinalis. Novus Codex non iam proponit definitionem censurae, distinguit tantum duo genera poenarum: medicinales atque expiatorias (can. 1312 § 1; cfr. cann. 1331-1335 et 1336-1338). Secundum Codicem pio-benedictinum canonicamque doctrinam, censura seu poena medicinalis dici potest sanctio poenalis cum

¹⁸ Unum ex his delictis committens, catholicus amittit statum suum membri ecclesiae catholicae in quantum haec «*compago visibilis Ecclesiae Christi in terris*» (can. 205; cfr. LG 8 a,b), remanet tamen in aliqua communione cum Ecclesia Christi in qua radicaliter incorporatus est per baptisma. Stricte loquendo, in his tribus delictis (can. 1364 § 1), excommunicatio non ponit reum extra plenam communionem; auctor ipse delicti seipsum posuit in minus plenam communionem cum Ecclesia *ante* quamvis canonicam sanctionem (in casu, ante excommunicationem).

fine primordialiter et specificè medicinali, aliis verbis, censura irrogatur praesertim ut, non neglecta delicti reparatione quoad scandalum damnaque inducta, delinquens corrigatur; censura enim est poena irrogata primo et per se ad rei emendationem seu, ut verbis theologicis utamur, conversionem obtinendam¹⁹.

Qua in re duo notanda sunt: primo, normae Codicis de remissione censurarum clare ostendunt finem censurae esse etiam reparationem delicti seu satisfactionem; ad normam can. 1347 § 2, recessus a contumacia, seu rei emendatio, implicat (cfr. *praeterea*) delicti reparationem vel saltem seriam promissionem reparationis. Secundo, finis medicinalis non significat reum cogi ad conversionem. Etenim emendatio moralis et theologica conversio sunt eminenter actus libertatis; verae non sunt nisi liberae. Libertatem illam rei adesse oportet ut censura finem suam correctivam obtineat, ut medicina dici revera possit. Censura igitur est experimentum reo impositum ut consilium libere sumat emendationis seu, ut rectius loquemur, conversionis suae efficiendae²⁰.

Finis specificè medicinalis seu correctivus excommunicationis implicat quod irrogari non possit in perpetuum nec ad tempus determinatum. Tempus enim non determinatur a legislatoris voluntate sed a rei libertate, eo sensu quod correctio ad quam censura

¹⁹ CIC 1917, cann. 2216 et 2241 § 1; cfr. v.g. G. MICHIELS, *De delictis et poenis*, vol. 3: *De poenis in specie*, Paris-Tournai-Rome-New York, 1961, pp. 9-17 et F.X. WERNZ-P. VIDAL, *Ius canonicum*, t. 7: *Ius poenale ecclesiasticum*, Romae, 1951², pp. 243-244.

²⁰ Cfr. *L'excommunication* (supra nt. 1) pp. 300-303 ubi disputatur de variis hodiernis sententiis quoad iuris poenalis canonici fines; agitur de illa praesertim sententia quae contradictionem detegere censet inter ius poenale et libertatem religiosam.

tendit a voluntate peccatoris pendet; tempus ergo remanet in lege indeterminatum. Excommunicatio de facto perpetua evenit tantum si reus a contumacia recedere non vult.

Effectus excommunicationis in hoc essentialiter consistunt quod exercitium aliquot iurium vetatur; pertinent ad capacitatem agendi²¹, non ad capacitatem iurium. Excommunicatus non privatur iuribus subiectivis, iuribus sui iuridici patrimonii; effectus censurae limitant tantum exercitium talium iurium. Ideoque partialiter tantum modificant canonicam catholici subiecti condicionem usque ad recessum a contumacia absolutionemque censurae.

Tres enim quasi sphaerae in iuridico personae patrimonio distinguendae sunt²²: in prima, sunt iura

²¹ Illa distinctione inter capacitatem iurium et capacitatem agendi utitur v.g. S. SIPOS-L. GALOS, *Enchiridion iuris canonici*, Romae, 1954⁷, p. 68. Quae distinctio orta est, in iure civili, ex consideratione status et iuridicae capacitatis pupillorum et dementium qui, certe, iura habent sed a quibus, ad ipsos tuendos, exercitium aliquorum saltem iurium aufertur. Talis distinctio ostendit, ex una parte, aliquem posse simul habere capacitatem iurium et non habere capacitatem agendi sed non e converso; ex altera parte aliquem posse numerari inter subiecta alicuius praescripti iuridicti et incapacem esse exercendi iura sic praescripta. Notandum est insuper personas iuridicas (in iure canonico cf. cann. 113-123) esse capaces iurium tantum, sed non capaces eadem exercendi; iura enim eorum exerceri non possunt nisi per personas physicas quae solae sunt capaces agendi quia solae intellectu et voluntate praeditae sunt.

²² In hac materia, distinctio inter capacitatem iurium et capacitatem agendi seu exercendi est maximi momenti. Si applicatur iuribus propriis cuidam statui (quae «secundam sphaeram» iuridici patrimonii constituunt) patet quod aliquis privari potest capacitate exercendi iura et officia status laicalis, sed non capacitatem iurium (status laicalis non amittitur nisi per ingressum in statum clericalem). Iura et officia status clericalis amitti non possunt quoad capacitatem iurium, eo quod indelibile est caracter

et officia *essentialia baptizati* (can. 204 § 1; cfr. cann. 208-223) quae alienari non possunt sed quorum exercitium limitari et etiam suspendi potest. In secunda sunt iura subiectiva et officia *propria cuidam statui*, quorum, generaliter loquendo, exercitium tantum limitari potest. In tertia numerantur facta et acta iuridica quae influxum determinatum habuerunt vel habent in modo iuridice agendi personae; quo in casu capacitas iuridica potest, non tantum limitari quoad exercitium, sed revera tolli qua talis. Quod si distinctionem illam trium «graduum» ad inductos ab excommunicatione ferendae sententiae effectus applicamus, strictius describi potest condicio iuridica excommunicati.

Excommunicatio ferendae sententiae non attingit nisi exercitium trium iurium essentialium: exercitium iuris recipiendi adiumenta e bonis spiritualibus Ecclesiae emanantia, praesertim sacramenta, partialiter vetatur (can. 213; cfr. can. 1331 § 1, 2º et can. 996 § 1); totaliter vero impeditur exercitium capacitatis assumendi munera et officia in Ecclesia (can. 129 §§ 1-2; can. 228 § 1; cfr. can. 1331 § 2, 4º) et iuris associationis in Ecclesia. Praeter illa tria essentialia, privatur excommunicatus exercitio aliquorum iurium subiectivorum quae, stricte loquendo, non sunt iura essentialia neque iura statui particulari annexa (cfr. can. 1331 § 1, 1º et 3º; § 2, 1º, 2º, 3º et 5º; can. 171

sacramenti ordinis, possunt e contra amitti quoad capacitatem agendi (cf. cann. 290 et 292). Iura et officia vitae consecratae amitti possunt et quoad capacitatem iurium et quoad capacitatem agendi (cf. cann. 684-704; 726-730; 742-746). Quoad «tertiam sphaeram» patrimonii iuridici considerari possunt iura quae pertinent ad quoddam officium ecclesiale: non solum capacitatem illa exercendi tolli potest, sed etiam capacitatem iurium, scilicet auferendo officium cui connectuntur.

§ 1, 3º; can. 1109), nisi sit clericus, in quo casu privatur exercitio *unius* iuris (officii) statui clericali proprii, i.e. celebrandi sacramenta (can. 276 §§ 1 et 2, 2º; cfr. can. 1331 § 1, 1º et 2º).

Praeterea, animadvertere convenit effectus excommunicationis indivisibiles vel inseparabiles esse: omnes eius effectus simul incurruntur (cf. CIC 1917, can. 2257 § 1: «*cum effectibus (...) quique separari nequeunt*»). Sub illo respectu, excommunicatio comparari potest interdicto, sed non suspensioni cuius effectus separari possunt (can. 1333).

Deinde patet ex analysi praescriptorum Codicis quod excommunicatio, tum «latae», tum «ferendae sententiae», est limitatio *maior* iurium exercitii; rariores sunt enim effectus interdicti et praesertim suspensionis quae, insuper, poena separabilis est.

Postremo admaadvertere oportet excommunicationem ferendae sententiae, et, a fortiori, latae sententiae, illicitos reddit actus vetitos; invalidi sunt tantum actus vetiti in cann. 171 § 1, 3º; 316 § 1; 996; 1109; 1331 § 2, 2º et 4º).

4. Conclusiones

Ad conclusiones venire possumus. Excommunicatio, quae est prohibitio maior exercitii iurium, implicat minorem participationem vitae Ecclesiae: excommunicatus enim pleno iurium et officiorum exercitio privatur; non excluditur ab Ecclesia sed privatur plena participatione vitae ecclesiali, non iam fruitur totaliter spiritualibus bonis Ecclesiae, in quantum est medium gratiae. Unde intelligi potest quonam sensu excommunicatus «*excluditur a communione fidelium*»; exclusus dici potest tantum si communio fidelium intelligatur ut communio externa, i.e. «*com-*

munio proprie ecclesiastica in divinis, in sacris seu in spiritualibus, quae constituunt specificum regiminis ecclesiastici obiectum»²³. Nobis ergo videtur locutionem illam classicam tanta confusione implicari tantaque explicatione indigere ut melius sit eam deinceps relinquere.

Praeterea, ut eruitur e Concilio Vaticano et Codice, si varii sunt sensus verbi «communione», patet quod «plena communione (visibili)» designatur status illius catholici qui pertinet ad Ecclesiam (cfr. tria vincula can. 205 et LG 8 a, b), quo in sensu, catholicus per se semper remanet in «plena communione» nisi commiserit delictum (ideo peccatum graviter imputabile etc. cfr. can. 1321 § 1) apostasiae, haereseos vel schismatis (can. 1364 § 1; cfr. can. 751) ideoque in defectu doloso communionis se constituerit, ut iam diximus. Attamen, ob peccatum delicto inhaerens excommunicatus, «*non iam Spiritum Christi habens*», non iam plene incorporatur Ecclesiae (LG 14b); minuitur iterum eius incorporatio ob vetitum exercitium aliquorum iurium, seu ob vetitam participationem normalem ad Ecclesiae vitam, sed numquam plene tollitur quia incorporatio illa radicalis est vi baptismatis.

In quantum est sanctio Ecclesiae, excommunicationis censura recte concipi potest ut extensio quaedam abstinenciae a communione eucharisticae peccato gravi inhaerentis; ad talem exclusionem tamen non reducitur. Non est enim mere declarativa, non ponit tantum in lucem indignitatem peccatoris, inducit revera in novam canonicam condicionem per privationem exercitii aliquot iurium. Effectus excommunicatio-

²³ Cfr. v.g. G. MICHELS, *De delictis et poenis*, vol. 3, Paris-Tournai, 1961, pp. 200 sq. Cfr. etiam supra, notas 12 et 13.

nis, uti diximus, intelligendi sunt ut limitatio libertatis rei imposita: libertas peccatoris non coercetur, peccator vero ipse cogitur ad quaestionem suae emendationis ponendam ut cohaereat vocationi suae et Ecclesiae missioni. Excommunicationis censura revera est *ultima ratio*²⁴.

Plura adhuc indaganda remanent, certe, circa excommunicationem sed quae hactenus tractavimus sufficiunt tamen ut proponamus aliquam definitionem seu *descriptionem* excommunicationis: quae definitio habenda est ut temptamen ad canonicam doctrinam promovendam in hac materia.

Uti iam notavimus, illa definitio stricte applicatur ad usum normalem i. e. ad excommunicationem «ferendae sententiae» (cfr. can. 1314); mutatis mutandis, applicari tamen potest excommunicationi «latae sententiae». Ad quam rem pertinere arbitramur mirum quid, scilicet quod in Codice, non datur, modo praeceptivo, ullus casus excommunicationis «ferendae sententiae». Delicta sancita per excommunicationem, secundum can. 1318, non sunt nisi graviora²⁵. Sed in omnibus illis casibus, excommunicatio «latae sententiae» incurritur. Nonne contradictio, vel ad

²⁴ Solemus etiam dicere *extrema ratio*. Secundum St. KOTZULA, melius est uti locutione «*ultima ratio*»; cfr. «Zur Exkommunikation im CIC 1983. Eine Definitionsmöglichkeit vom Communio-begriff her», in «Archiv für Katholisches Kirchenrecht» 156 (1987) 432-459, in specie p. 456, n. 64.

²⁵ Agitur de delictis apostasiae a fide, haeresi, schismate (can. 1364 § 1); de specifica profanatione eucharistiae (can. 1367); de physica iniuria in Romanum Pontificem (can. 1370 § 1); de sacerdotis absolutione complicitis in peccato turpi (can. 1378 § 1); de episcopo qui alium consecrat in episcopum sine mandato pontificio et de consecrato (can. 1382); de confessario qui directe violat sigillum sacramentale (can. 1388 § 1); de procurante abortum (can. 1398).

minus defectus quidam cohaerentiae cum principio generali can. 1314, sic inducitur? Quam quaestionem, — quae est ultra propositum nostrum —, peritorum iudicio hic tantum subicimus.

Definitio nostra excommunicationis sic tandem enunciatur: excommunicatio est sanctio poenalis iuris positivi ecclesiastici, cum fine specificè medicinali seu correctivo, constituta in delicta graviora, cuius effectus indivisibiles consistunt in vetito exercitio iurium et officiorum ad normam praescriptorum Codicis²⁶, ita ut exclusionem quasi totalem a spiritualibus Ecclesiae bonis constituat. Quae definitio eruitur, salvo meliore iudicio, *ex iure quod est*, non provenit ex eo quod excommunicatio censetur fuisse vel esse debere. Recte intellecta, excommunicatio non est nisi testimonium, revera extremum, pastoralis Ecclesiae sollicitudinis quae, quasi invita, auctorem alicuius delicti in statu ponit quo cogitur ad vitam denuo eligendam conformem vocationi suae et Ecclesiae missioni. Recte applicata, excommunicatio ostendit, modo sane peculiari et originali, quanta sit Ecclesiae patientia erga quosdam peccatores in sinu suo degentes; quae patientia semper sperat, exprimens patientiam Dei, qui non quaerit mortem peccatoris sed ut convertatur a viis suis et vivat (Ez. 18, 23).

ALPHONSE BORRAS

²⁶ Haec Codicis praescripta continentur in cann. 1331 §§ 1-2; 171 § 1,3°; 316 §§ 1-2; 915; 996 § 1 et 1103.